



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XVI. Quòd verum solatium, in solo Deo est quærendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

mundo sunt: & propter te amare con-
 temni, & nesciri in hoc sæculo. Da
 mihi super omnia desiderata in te re-
 quiescere, & cor meum in te pacifica-
 re. Tu vera pax cordis, tu sola requies:
 extra te, dura sunt omnia & inquieta.
 In hac pace, in idipsum: hoc est, in te *Psal. 4.*
 vno summo æterno bono, dormiam
 & requiescam. Amen.

CAP. XVI.

*Quòd verum solatium, in solo Deo
 est querendum.*

QUID QUID desiderare possum,
 vel cogitare ad solatium meum,
 non hinc exspecto, sed in posterum.
 Quòd si omnia solatia mundi solus *Mat. 16*
 haberem, & omnibus delitiis frui pos-
 sem: certum est, quòd diu durare
 non possent. Vnde non poteris ani- *Pf. 76.*
 ma mea plenè consolari, nec perfe-
 ctè recreari: nisi in Deo consolato-
 re pauperum, ac susceptore humi-
 lium. Expecta modicum anima mea,
 expecta diuinum promissum, & ha-
 bebis abundantiam omnium bono-
 rum in cælo. Si nimis inordinatè
 ista

ista appetis præsentia, perdes æterna & cælestia. Sint temporalia in vsu, æterna in desiderio. Non potes aliquo bono temporali satiari, quia ad hæc fruenda non es creata.

- 2 Etiam si omnia creata bona haberes, non posses esse felix & beata: sed in Deo, qui cuncta creauit, tota beatitudo tua & felicitas consistit: non qualis videtur & laudatur, à stultis mundi amatoribus: sed qualem expectant boni Christi fideles, & prægustant interdum spirituales ac mundicordes,
- Sap. 2.* quorum conuersatio est in cælis. Vanum est & breue, omne humanum solatium. Beatum & verum solatium, quod intus à veritate percipitur. Deuotus homo, vbique secum fert consolatorem suum Iesum, & dicit ad eum. Adesto mihi Domine Iesu, in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & iusta probatio, pro summo solatio. Non enim in perpetuum irascêris, neque in æternum comminaberis.
- Phil. 3.*
- Pf. 102*

CAP.